

SYNOPSIS

MORBORUM OCULIS

INSIDENTIUM GENERA ET SPECIES EXPONENS.

Propugnanda ab Auctore JOANNE DECHEVANNE
Artium Liberalium Magistro & jamdudum Medicinæ
Alumno.


PRO BACCALAUREATU CONSEQUENDO

In Augustissimo Monspelienſi Appollinis Fano.




MONSPELII,

Apud AUGUSTINUM-FRANCISCUM ROCHARD, Regis &
Uiverſitatis Medicinæ Typographum unicum.



M. DCC. LIII.



R. R. D. D.

PROFESSORES REGII.

R. D. ANTONIUS MAGNOL, Decanus Procan-
cellarius.

R. D. HENRICUS HAGUENOT.

R. D. JACOBUS LAZERME.

R. D. EUSTACHIUS MARCOT, Regis Medicus
perpetuo ordinarius.

R. D. ANTONIUS FIZES.

R. D. FRANCISCUS DE SAUVAGES.

R. D. CAROLUS SERANE.

R. D. FRANCISCUS DE LAMURE.

R. D. FRANCISCUS IMBERT, R. D. MAGNOL
Coadjutor.





Brondes f.

PRÆCELSO

AC PRÆPOTENTI VIRO

DOMINO DOMINO

MARCHIONI DE GANAY,
DOMINO DE LEVOT,

ORDINIS SANCTI LUDOVICI EQUITI
Legionis Tribuno, Civitatis Æduensium Gubernatori.

VIR PRÆCELSISSIME,

Quod tibi offerre audeo opusculum, quam ut de tuo animo, sit bene meritum, minus esse conspicuum, facile intellexi: at tamen contra spem gratum id habuisti, atque tenerum Scientiarum Candidatum gloria cumulasti, dum tantum nomen, huic ce opusculo præfixum annuisti: hujus mihi presens est commodum; sentio enim, quod censura obnoxium, frustranea evanescerent suæ notæ: id si probes, quis loquetur aristarchus.

Animi memoris, ardens est mihi desiderium, quam autem amplecti rationem, unica super erat, tui novum est beneficium, redundaret forsam tuis laudibus hæc ce Epistola, ni his tua lederetur modestia, tuum pateretur ingenii acumen, quod libenter sequor, unum habeo summum meæ venerationis argumentum, hoc ce opusculo tibi vovendo.

*Tui additissimus humilissimusque
Servus & Cliens.*

JOANNES-BAPT. DECHEVANNE.

XX

FRANCESCO

AC PER APOTHECARIUM VIRI

DOMINICOMONDO

MARCONIOMI DE GRAY

DOMINIO DE LEVOTI

ORTENSIA SANCITI FIDELIOMI DE GRAY

Legatione Italiana, Divisione Consolare, Roma

VIA FRANCESCO MARCONI

Il sottoscritto ha l'onore di comunicarvi che...

Il presente documento è stato redatto...

La presente comunicazione è valida...

Per ogni informazione, si prega di...

Il presente documento è stato...

La presente comunicazione è...

Per ogni informazione, si prega...

Il presente documento è...

La presente comunicazione è...

Per ogni informazione, si prega...

Il presente documento è...

La presente comunicazione è...

Per ogni informazione, si prega...



SYNOPSIS

MORBORUM OCULIS

INSIDENTIUM GENERA ET SPECIES EXPONENS.

O P H T A L M I A.



LIPPITUDO. Celsi: Pituita. Horatii. Inflammatio oculorum. Dolor oculorum: *Mal aux yeux*.

Cognoscitur ex oculorum dolore rubore, lucis intolerantiâ & lachrymatione.

Horum symptomatum alia aliis prævalent in diversis speciebus sed lucis intolerantia & dolor sunt frequentissima rubedo omnes ferè species comitatur, lachrymatio in recentibus semper observatur.

Dolor ex distractione fibrarum nervearum in hoc organo plurimarum & tenerrimarum oritur, & hæc distractio ex vasorum infarctis, liquorum acredine, fervore pendet.

Rubor ex sanguine vasa conjunctivæ lymphatica subeunte & dilatante producitur, maximè cum adest inflammatio gravis externa, dantur verò species in quibus sola palpebrarum conjunctiva rubescit cum oculorum angulis: in antiquis ophtalmiis vasa quædam rubra in conjunctivâ oculorum etiam eminent & ruborem sine dolore & calore producant.

Intolerantia lucis retinæ sensibilitatem , ipsius uveæ phlogosim aut solius conjunctivæ summam tensionem arguit , nec potest pars exterior oculi inflammari quin phlogosis aliqualis in internâ serpat.

Lachrymatio uberiolem lachrymarum ex glandulâ lachrymali proventum irritationi & successu temporis laxationi tuborum excretoriorum tribuendum supponit , vel etiam angustiam punctorum lachrymalium quæ angustia à lippitudine viscosâ ea orificia obturant vel à crispaturâ fibrarum circularium quam dolor excitat est derivanda. Indicantur 1^o. A dolore quæ sensum partis & sensorii minuunt ut narcotica intus assumpta , anodyna , demulcentia , laxantia parti admota , oleosis tamen exceptis fofus itaque & vapores ex lacte tepido , aqua tepida , floribus emollientibus , pulpis &c. vigente dolore conveniunt. 2^o. Quæ causam distrahentem nervos , vasa distendentem , vellicantem auferunt , adeòque prodest , lucem , ignem , ventum , fumum , lectionem , lumen nocturnum , vigiliis , victum aromaticum , salinum arcere : prodest sanguinis acrimoniam balneis , jusculis , lacticiinis emulsionibus , clysmatis , aquis acidulis temperare , diureticis , catharticis , antiphlogisticis immnuere , infartum inflammatorium phlebotomiis palpebrarum & conjunctivæ ipsius scarificationibus minutissimis , aut quod præstat admotis hyrudinibus tollere. Instrumentum scarificatorium à Wolhoufio inventum spicâ secalinâ confectum vide apud Heister. pag. 503. tabul. 16. f. 4.

3^o. A rubore maxime si tumor phlegmonodeus adsit , indicantur quæ sanguinem è toto & è parte detrahunt ut phlebotomiæ , hirudines , diæta tenuis si febris adsit saltem media , abstinentia ab exercitiis calefacientibus , vigiliis ablatò infarctu conveniunt refrigerantia , repellentia , imò astringentia resolventibus juncta mitiora sunt flores Rosarum rubrarum , Folia Sydonyæ , Bellidis , Semina Psyllii , aqua Plantaginis & Rosarum , fortia sunt Alumen ovorum albuminè temperatum , Vitriolum album vel viride magna aquæ

copia dissolutum, Vinum rubrum fortiora ex Plumbo cupro, Lapide divino, Æruginè desumuntur, ut infusione cupræ monetæ intra Vinum cum Pauxillo Æruginis, Saccari Saturni, &c.

4^o. Lucis intolerantia indicat 1^o. Quæ dolorem tollunt jam recensita. 2^o. Quæ phlogosim ruboremque minuunt, sed maximè abstinentiam à lectione potissimum nocturnâ, Balneationem quietem.

5^o. Illachrymatio, cum viget dolor & inflammatio sedantibus, antiphlogisticis curatur, dum verò morbus diù duravit tonicis, resolventibus ut Tuthiâ, Vitriolo, Æruginè, Vino rubro, Aquis Thermalibus admotis curatur.

1^o. *Ophthalmia accidentalis simplex.*

Taraxis Aetii. Pauli. 1. 3. cap. 22.

Ophthalmia notha. Sennert. Ophthalmia catarrhalis. St. Yves. spec. 3.

Illa est quæ sine causis prægumenis, à solis procathartics levibus pendet ut à fumo, vento, lucubratione vapore sepæ.

Microscopiorum usu similibusque principiis Phisicè agentibus, vel levi vulnere, contusione, Insectorum morfu &c. Huic sunt obnoxii cribratores, lapicidæ lepturgi, Fabri ferrarii, Auri Fabri, Vitrarii, Calcarii, Lanæ carminatores Horologiorum Fabri &c. Vidi plures infantes nosocomii generalis qui Lana confricatis sibi oculis eam excitabant ut a labore imposito immunes essent.

Curatur naturæ & hygieines solis auxiliis intra paucos dies. *Auxilia hygiética* sunt 1^o. Abstinentia à causis procathartics, quies oculorum in loco tenebricoso, aqua tepida quâ oculi eluuntur, foventur.

2^o. Interea natura institutâ niçtatione pulverem si illapsus sit expellit, excitatâ uberi lachrymatione & capite deorsum flexo extranea in oculos illapsa everrit.

2^o. *Ophthalmia simplex palpebrarum* Emphisema Pauli Ægin.

Ophthalmia à Vesparum, apum morfu Sennert.

Ophthalmia Catharralis Baglivi.

Ophthalmia ab Erysipelate faciei.

Illa species dignoscitur ex eo quod palpebra potissimum superior intumescit admodum cum levi rubore oculorum clausura & rubedine in tharsis, dum globus oculi vix ullo rubore afficitur.

Curatur spontè sine artis Therapeutices auxilio, Vinum tepidum oculis admotum sæpiùs sufficit, modo alia auxilia ad Catharrum vel ad Erysipelas requisita non negligantur; lympham in textu cellulari palpebrarum congestam supponit, unde œdema potiùs quam Emdhisema exsurgit dum tamen interior palpebrarum tunica rubescit & dolet.

3^o. *Opht. habitualis humida.* | Epiphora Galen. introd.
 Opht. vera Sennert. Jonsthoni. | Opht. Pauli Ægin.
 Opht. 2^a. spec. St. Yves pag. 180. |

Differt à taraxi quod causas agnoscat internas prædisponentes quæ à procatharticis etiam excitatæ sunt, ab ophthalmiâ palpebrarum quod adnata globi rubeat, caleat, doleatque. Palpebræ verò in tharso tantum intumescant: à cœteris speciebus, quod uberiori lachrymarum effluxu foveatur, adsunt in oculo dolores lancinantes, lucis intolerantia, visûs obscuratio propter guttulas aqueas globo adpersas quæ radios lucis inæqualiter refringunt, lachrymæ falsæ, fervidæ, gustu acres genas erodunt. Subjecti huic morbo potissimum infantes, cachectici quorum acris est lymphæ.

4^o. *Ophtalmia scrophulosa.*

Illa species humida pariter est cum abundantia & viscosâ in palpebris lippitudine, undè limbus palpebrarum mane potissimum agglutinatur, palpebræ turgent, genæ sæpiùs exulcerantur, sed potissimum nasus, labra pallide tument ægri caput semper pronum gerunt undè crescit tumor narium, oculi semper clausi, lachrymosi sunt, interiùs inflammati, dolentes, ægri mæsti maximè sunt & infomnes, comitantur non rarò glandulæ colli & mesenterii induratæ.

Cura exigit phlebotomias dolori, febrili motui, calori

proportionales, diætam refrigerantem, juscula diluentia ex pullo, vitulo & herbis refrigerantibus ut lactucâ, portulacâ, endiviâ; oculorum elutionem quotidianam ex aquâ tepidâ, clysmata laxantia; & præmissâ leni catharsi balnea domestica iterata quibus nihil est præstantius interea quoniam morbus est contumacissimus & sæpe maculas corneæ inducit, si neglectus, revulsionis gratiâ fetaceum nuchæ est infigendum, vel cauterium brachio inurendum & lactis usus simul imperandus. Topica cum inflammatio deferbuit ex saccharo, vitriolo, tuthiâ & aqua rosarum parantur.

5^o. *Ophthalmia habitualis sicca.*

Xerophthalmia. Paul. Ægi.

Ophthalmia angulos oculi afficiens. St. Yves spec. 5^a.

Ophthalmia cum lemibus ficcis. St. Yves spec. 4^a.

Rubedo ferè tantum in angulis oculorum, aut in conjunctivâ palpebrarum, nullus tumor in palpebris, aut in oculo, nisi fortè in carunculâ lachrymali ibi verò dolor est punctorius, pruriginosus, interea vix lux nec reflexio lucis ab aquâ potest tolerari, caput non dolet, paucae sunt vel nullae lachrimae. Palpebrae facile agglutinantur potissimum vespere & summo manè: morbus contumax differt ab ophthalmiâ pustulosa quod nullae in oculis aut palpebris pustulae

Curatur præmissis generalibus. 1^o. Jusculis emollientibus, diluentibus ex pullo, ranis, vitulo, herbis lactucæ, betæ, bono henrico, cucurbitis, ptisana ex orizâ, hordeo mundato, floribus malvæ, sero lactis, lacte aquis acidulis.

2^o. Topica sunt aqua tepida a D. Gendron tantopere commendata lactis, decocti emollientis vapore oculis excepto, fotu ex floribus violæ, malvæ, aquâ liliorum; balneis repetitis, clysmatis aqueis, collyriis ex aquâ liliorum, rosarum, plantaginis, saccharo cando.

6^o. *Ophthalmia pustulosa palpebrarum.*

Pforophthalmia Aetii. Lippitudo scabra cornarii opht. scoriatoria tharforun Boerrhavii.

Si pustulae distinctae instar granorum milii cum dolore

& gravitate, dicitur trachoma. Paul. Ægine.

Si pustulæ confusæ, herpeticæ *Dafyma* Paul Ægine.

Differunt a tylosi & sycofi per numerum maximum & molem exiguam pustularum.

Epidemica fuit post terræ motus & victum quadragesimalem hâc occasione præscriptum Baglivi de terræ motu. Teloni de terræ motu. Apud Italos nec non apud Lusitanos. Amati Cent. 7. cura 80.

Ophthalmia erysipelatoſa St. Yves. Species 8. pag. 184. sæpe comes est herpes superciliarum poterii Centuria 1^a. cura 10^a.

Cura pustulosa ophthalmia omnium contumacissima exigit amplam sanguinis dilutionem per juscula, ptisanas, aquas acidulas, serum lactis, balnea iterata, diætam lacteam; revulsionem ope setacei; nuchæ inusti vel cauterii tibiis, brachiiis appositi, catharses lenes iteratas, juscula edulcorantia ex pullo, vitulo, ranis, testudinibus, cum *syfimbrio*, *beccabunga*, mille pedibus, non neglectis topicis, præsertim *tuthiâ*, *iride florentinâ*, *sale saturni*, &c.

7^o. *Ophthalmia pustulosa oculorum*. St. Yves species 6. ophthalmie *Bourgeonnée*. *Pforophthalmia*. *Aetii*.

Ophthalmia ex variolis

Ophthalmia ex morbillis Lotichii. obs. L. 2.

Ophthalmia phlyctenodes ex ambustione phlyctides & phlyctenæ,

Ophthalmia ulcerosa ulcusculis profundis *Encauma*.

Opht. ulcusculis superficialiis *Epicauma*.

Opht. cum abcessibus minoribus corneæ & adnatæ St. Yves sp. 7. ex *tineâ*, scabie suppressis. Nenteri.

Cognoscitur ex pustulis conjunctivam afficientibus initio rubris dolentibus.

Curam vide apud St. Yves.

8^o. *Ophthalmia palpebrarum tuberculosa pothia* Galeni *Isagoshæ* cap. 15 *Orgeolet*. *Crite Aetii*. L. 7. cap. 8.

Præputiolum cornarii.

Hordeolum latinis dicitur si hordei granum æmuletur.

Grando si tuberculum durum & veluti pellucidum.
Sclerophthalmia Aetii.

A tuberculis limbum palpebræ afficientibus pendet quandoque verrucosa sunt & si petiolata sint Græcis sycofis dicuntur. Paul. Ægin. inter trachoma & tylofim media sunt.

Si vero tuberculum asperum & callosum fuerit *Tyloma* & *Tylofis* Paul. Ægin. vocatur. Sed a sycofi simplici & cancrôsâ visus præpeditur & producitur caligo. Parum rubent & dolent oculi sed palpebra quasi præputium oculi nunc oculos tegit & præ mole & pondere vix aperiri potest, undè Phymosis oculi cum lemis seu lippitudine vel invertitur unde *Ectropium* aspectu horridum accidit seu Paraphymosis oculi, quod tamen rariùs ; successu temporis palpebræ ciliis denudentur & fit ptilosis. Sedes horumce tumorum sunt glandulæ sebaccæ intumefactæ sebo collecto, indurato undè agglutinantur palpebræ, mulierculæ hoc vitium *desiderium* vocant seu *envie* putant enim illud accidere illis, qui gravidis quoddam expetitur recusant.

Cura. illa tubercula nisi ad Cancrum vergant, maturanda sunt & ad suppurationem deducenda pulpis primò emollientibus ut pulpâ althææ, feminis fæni græci, pomi cocti, cataplasmata ex micâ panis quibus dolor & inflammatio sedantur. 2^o. Emplastris admotis ut diachylo de mucilagine cavendo ab interiori oculi qui a therebentinâ & resinis læditur. 3^o. Demum si duriora fuerint tangenda sunt tubercula ex apice penniculi, spiritu salis ammoniaci, vel olei vitrioli, vel demùm lapide infernali in acumen tenuato, prius madefacto tuberculo, dein scarræ lapsus juvandus butyro infuso vide Boerrh.

9^o. *Ophthalmia Syphilitica* Baglivi. St. Yves. spec. 10 pag. 187. *Ophthalmie Venerienne.*

Ad Chemosis accedit differt tamen ex eo quod conjunctiva oculi præter quam quod tumida est veluti carnosâ & dura : incipit ab uberi epiphorâ quasi purulentâ subflavâ.

Pluriès a suppressâ gonnorrhæâ post biduum incipit.

Chirurgo Monspeliensi accidit ob decubitum supra pulvinar syphiliticâ salivâ inquinatum oculo contiguum.

Cura. vulgaria remedia inutilia fermè sunt, nec curant morbum nisi accedant remedia syphilidis. Potissimum hydrargirosis quibus curatus est Chirurgus supra dictus.

10. *Ophthalmia phlegmonodes sythrofica.*

Chemosis Aetii & omnium Authorum.

Ophthalmia violentissima chemosis dicta. S. Yves spe. 9.

Ophthalmia ab ictu violento oculis excepto. St. Yves species 13.

Character illius speciei quam pro varietate ophthalmiæ perperam habent Authores, desumitur ex notabili conjunctivæ oculorum intumescentiâ rubro livida, cum corneæ pellucidæ depressione & quasi foveâ apparenti obscurâ, fuscâ, visus summâ obscuritate, febre etiam acutâ, dolore atroci, palpebrarum nunc Phymosi nunc Paraphymosi & superioris potissimum in Phymosi intumescencia ad ovi Gallinacei molem accedente. Adde cephalalgiam, lancinationes & gravitatem oculi.

Ortam vidi ex catharro gravi in puellâ cacochimicâ, hæc spontanea est in senibus propter operationem catarractæ rudiori manu factam speculo oculi duriùs admoto.

Alias vidi ortas ex gravi oculi contusione, ictu.

Oritur etiam ex febre malignâ per metastasim, ex pleuritie. Terminatur sæpiùs suppuratione corneæ adeoque visûs amissione evacuato humore aqueo, labia conjunctivæ ad se accedunt, & dein oculus apertus exhibet globum contractum & albidum.

Sedes est in utraque conjunctivâ cujus vasa inflammata sunt, & ex quibus vel sanguis, vel lymphâ subcruenta altius insinuata est in textum cellularem suppositum unde tantus tumor adnatæ sobolescit. Quoniam verò corneæ textus est multo densior imò cornea orbiculum ab sclerotide contiguo distinctum ac separabilem constituit illa nequaquam

quam intumescit, unde in medio oculi tanquam in foveâ depressa videtur.

Optimum Remedium sunt hirudines duæ vel tres palpebris admotæ, frequens oculi elutio ne materies infrâ palpebras moram trahens acris evadat.

11°. *Ophthalmia arthritica*. Musgrave de arthritide anomalâ cap. 17.

Distinguitur ab omnibus aliis speciebus ex eo quod alternet cum paroxysmis arthritidis, ita ut evanescente dolore articulorum illa accedat, redeunte dolore articulorum illa recedat, & sic porrò.

Cura. Revocanda est ad pedes materia arthritica, quod sinapismi præstant.

12°. *Ophthalmia angulorum oculi vel angularis*.

Ophtal. ex anchylope. Si anguli nasalis inflammetur caruncula.

Ophtal. suppuratoria ex ægylope si suppuratur.

Ophtal. ex glandulâ lachrymali inflammatâ vel suppuratâ. Boerrhavi cap. 7. de morbis oculorum.

Curam suppeditant Chirurghi ut Heisterus. St. Yves.

13°. *Ophthalmia interna*. Antonii Maître Jan.

Ophtal. de la Choroide. St. Yves 11^e. spec. pag. 188.

Ophtal. cum proptosi oculi. *Exophtalmia*.

Cognoscitur ex atrocissimis doloribus oculorum & capitis cum omnimodâ lucis intolerantiâ, pervigilio, febre, pupillæ angustîâ & paucò rubore externo.

Cura. phlebotomiæ iteratæ ex brachio & dein ex jugulo sunt necessariæ æstus fomenta emollientia & leviter anodyna conveniunt.

14°. *Ophthalmia cancrofa*.

Carcinoma.

Cancer glandulæ lachrymalis Boerrhavi cap. 7. p. 28.

Cancer carunculæ lachrymalis.

Charaâter ex tuberculis duris inæqualibus & lancinantibus partium oculo vicinarum simulque dolore lancinante desumitur.

Cognoscitur ex magnâ siccitate oculi, si glandula lachrymalis affecta sit oculis arenulosis, pulverulentis noctu crescentibus dolore profundo inflammatorio in loco affecto, sequitur post longos cruciatus proptosis seu prolapsus oculi.

Ophthal. atrichiasi. Heister. Chir. cap. 46.

Ea est quæ à pilis palpebrarum introversis rigidis densioribus palpebras irritantibus ortum ducit.

Cura. ex Chirurgicis reputatur capite de phalangosi; trichiasi, distichiasi, &c.

C A T A R A C T A.

GLAUCOSIS Hippocratis, Glaucoma M. Jan. Suffusio Jonsthoni. *Idæa uni. Med.* Hypochyma ejusdem.

Est visus immunitio notabilis aut abolitio ex opacitate cristallini aut vitrei radios ultra pupillam intercipientis. Boerrh.

Cataracta à Cristallino opaco. La Cataracte commune.

1^o. *Cataracte vraye.* Maître Jan Maladies des yeux. in-4^o. Troyes 1707.

Brisseau Med. Tornaceus. De Cataractâ 1709. L. Heister Professor Hodiè Helmstadiens. De Cataractâ 1713. St. Yves des Maladies des yeux pag. 242. Scripsit 1722 *GLAUCOMA VERUM.* Woolhousii pag. 30.

Suffusio Heister Chirurg. pag. 534. Qui & Cataractam indiscriminatim nominat eamque esse veterum *Hypochyma* & *Hypochysim* existimat.

Cognoscitur 1^o. Sede quæ est ipsum cristallinum adeoque statim ferè ultra pupillam econtra glaucoma Heisterii. St. Yves, &c. Est in vitreo adeoque profundius situm. 2^o. Frequentius accidit, multo rarius glaucoma autorum. 3^o. Incipiens Cataracta videtur nebula profundè latitans, post paucos menses æger minùs distinctè cernit, nubecula minùs profunda evadit & opacior, demùm circulum opacum omninò ponè pupillam efformat. 4^o. Color ut plurimum al-

bicans vel grifaceus qui successu temporis gypseus, sublu-
teus, aut alius evadit. 5°. Si spontè oritur à vitio interno
bini oculi successive afficiuntur paulatim. 6°. Præcesserunt
vel ictus, phlegmones, concussiones oculorum vel studia
immodica, morbi graves soporosi vel spasmodici, collyria
acria vel fervidiora, vehementes cephalalgia. Huic obnoxii
sunt bajuli onera summa capite gestantes, futores, sartor-
es, horologiorum opifices capite prono laborantes, mi-
nuta objecta sectantes, milites subditi excubias agentes &
demùm senes. 7°. *Perfectâ Cataractâ* uniformis est ubique
opacitas & totalis visus abolitio, nisi quod lucem Meridia-
nam à tenebris tantum distinguant, unde cæci manibus præ-
se exporrèctis palpando & oculis ad altâ conversis incedunt.
Sic cani cristallinum aciculâ attingatur si aquæ forti etiam
triplo aquæ communis debilitatæ cristallinum immergatur,
si calori aquæ fervidæ exponatur, opacum intra breve tem-
pus evadit.

Curatur si matura fuerit & sine paralyti retinæ per ope-
rationem Chirurgicam; 1°. Matura cognoscitur, non adu-
natione, aliæ enim intra paucos menses, aliæ intra aliquot
annos maturantur, sed ex uniformitate & æqualitate opaci-
tatis, colore cinereo vel albo cæruleo, vel argenteo nitente.
Ex eo etiam quod objecta luci à posticis ægri radianti expo-
sita nequaquam distinguant.

2°. Simplex & sine guttæ serenæ complicatione cognos-
citur si, oculus affectus non alio protuberantior, nec maci-
lentior fuerit, & si ægro luci obverso, levi digito palpebræ
clausæ demulceantur, fricentur, moxque aperiantur ac-
tum pupilla quæ inter fricandum fuit contracta, ad 4^{am}. aut
dimidiam sui partem dilatetur; verbo si pupilla vel potiùs
uvea sit sensu & motu prædita. Operationem inferiùs in-
dicabimus. Medicamina interna vix utilia sunt, immaturæ
cataractæ sunt molles, caseosæ, lacteæ, purulentæ. Maturæ
gypseæ, siccæ, friabiles, duræ, elasticæ, coalitæ cum ap-
pendicibus.

2°. *Cataracta à cristallino opaco virgato Cataracte barrée.*
St. Yves pag. 288.

Differt à priori 1°. Quod color uniformis nequaquam fit sed virgis luteis, castaneis albidioribus, rubellis etiam quasi fibris aut liris distinctus & variegatus. 2°. Quod intus caseum, lacteum, purulentum, flavum & liquidum fit cristallinum quo inter operandum secto, fluit liquor albus luteus ve, humorem aqueum turbans, opacans, sæpè concrefcens, in formam pultis quæ post unum aut alterum à 1^a operatione mensem iteratà encheiresi est deprimenda.

Curatur. modo matura & simplex non secùs ac prior.

3°. *Cataracta à cristallino opaco protuberante antiglaucoma.*
Maître Jan.

Differt 1°. A glaucomate Autorum majori cristallini volumine, ejusdem protuberantia versus pupillam, pupillæ dilatatione, constanti maxima adeòque iridis angustatione, imo inæqualitate propter inæqualem cristallini protuberantiam, colore cristallini corneo, albo, lucido, polito, visu omninò tunc abolito pupillæ immobilitate. 2°. Differt à cataractâ purulentâ, quod nullus præcessit nec sequitur dolor oculi. 3°. Differt à Cataractâ verâ.

Hic affectus glaucomate frequentior est, Cataracta vera rarior, colorem habet ut Cataracta vera uniformem, non verò ut glaucoma & spec. 2^a. virgatum aut variegatum.

Præterea in Cataractâ verâ magis vero in glaucomate cristallini moles decrefcit, in hâc specie crescit, maximè tumet, ac membrana ipsius induratur, crassescit & factâ operatione, segmenta ejus appendices elasticas efformant. Hanc autem membranam cristallini anticam esse retinæ expansionem demonstrat Anatomia † incurabilis censetur.

4°. *Cataracta à cristallino à sede dijecto.* Cataracte déplacée. Maître Jan. Cataracta è loco dimota autorum.

Simplex cristallini à suâ sede dimotio cognoscitur à

† Cristallinum in hâc specie post mortem extractum lamellis gypseis concentricis conflatum & solito crassius erat.

causâ violentâ ut ictu acûs, subulæ, pupillæ immobilitate & aperturâ majori colori cristallini sensim albescentis & ut in 3^a. specie uveæ adjacentis uveam extrorsum prementis, ast deindè cristallinum decrescit & tunc ægri corporum luci interpositorum umbram vident cristallino vitreum corpus non undequaque tegente. Illam speciem attingere sæpiùs inutile est. Operatione tamen sanavit. St. Yves pag. 261.

Complicata cum synchysi vel vitrei dissolutione, exhibet cristallinum album vel luteum, durum, quod ad levem oculi motum vacillat. unde à priore varietate discrepat, pupilla dilatata remanet, iris colorem nativum amittit, corrugatur introrsum, vel extrorsum cum cristallino flectitur, visus obscuratur vel aufertur, præcessit ophtalmia interna, celer, acuta, adeòque dolor fundi oculi & frontis, & sine resolutione hoc sedato interiora oculi in suppuratum abierunt.

Vitreum dissolutum putre evasit. Hæc oculi dissolutio nullas sæpe alias strages edit, sed morbus insanabilis est. Si tamen dolores & ophtalmiæ atroces sæpiùs hâc de causâ recurrant, simulque deformitas oculum artificialem gerendum suadeat, in hoc casu sunt ocularii qui corneam circulariter refecant, globoque evacuato & in fundum contractis ejus oris, dein oculo artificiali locus est.

Cataracta à vitreo dissoluto synchisis Ant. M. Jan glaucoma Heister.

Synchisis accidit suo confusio omnium humorum oculi etiam à vulneribus gravissimis ipsi inflictis, cristallinum albescit, rubet cornea, turbatur humor aqueus, visus aboletur nec restitui potest, si cristallinum opacum gypseum solutis ligamentis liberum in anticam cameram per pupillam protrudatur, quod sine dolore non accidit, tunc ad imum corneæ scalpellus adigitur & cristallinum extrahitur nulla etiam superstitie in corneâ cicatrice.

5^o. Cataracta à cristallino exsiccato glaucome de Maitre Jan. Glaucoma Maitre Jan. Non St. Yves.

Dignoscitur cristallinum exsiccatum 1°. Colore cæruleo vel glauco. 2°. Volumine minori, figurâ lenticulari superfite, amissâ diaphaneitate, auctâ duritie, visu vel imminuto vel penitùs ablato. 3°. Raro præcedunt dolores nisi ab istu vel Catharrali inflammatione ortum ducat amaurosis. 4°. Pupilla rotunda est & naturalis diametri nec major nec minor. 5°. Visus initio nebulosus ut in Cataractâ. 6°. Cristallinum sensim vel luteum evadit aut nigricans, aut album lucidum, vel granum grandinis refert. Crescit in dies opacitas & tunc visus penitùs aufertur. 7°. Remotiùs vel profundiùs judicatur cristallinum quia contractum & undequaque minus cernitur.

Species incurabilis est juxta Antoine Maitre Jan. Ast. St. Yves acu in oculum immissâ & cristallino depresso curari posse contendit, saltem quid tentare nocebit.

6°. *Cataracta à cristallino purulento* Cataracte purulente Cataracta purulenta Antoine Maitre Jan. Abscès au cristallin. 1°. Adest puriformis materiæ congestio vel intra cristallinum, vel inter ejus membranam & corpus. 2°. Morbus hic initio Cataractam veram mentitur. 3°. Dolor adest in oculo qui se ad anteriora propagat seu frontem afficit, quandòque cum Ophthalmiâ externâ, quandòque cum nebulâ pupillæ. 4°. Pus intra paucos dies efformatur, factò pure dolor sedatur, crescit albedo pupillæ. 6°. Cristallinum in hâc specie non ita politum est, & quia pus medium tantum occupat, tota lens minor videtur ac proinde profundior judicatur etiam quam in specie 8a. 7°. Si pus effundi contingat, turbatur humor aqueus, color iridis mutatur, pupilla angustatur, mutatur visus, admodum obscuratur.

Operatio inutilis censetur Antonio Maitre Jan. Quia membrana vitrei dein abit in suppuratum & pupilla semper contracta manet. Quæ cum ita sint ocularius anglus Taylor fenestellam ope acûs in pupillâ refarcire contendebat: hæc species multum affinis est cataractæ veræ immaturæ, quæ

cristallinum intùs lacteum vel purulentum exhibet, si maturius quam par est instituta fuerit operatio.

7^o. *Cataracta membranacea* Woolhouse Cataracte membraneuse. Cataracta membranacea de Woolhouse St Yves. Heister triplici modo potest hæc species variare etenim primo vel purulenta quædam. Et viscidior materies à cho- roideâ suppuratâ *inter* uveam & cristallinum effusa & innatans pupillæ foramen nubeculâ albâ subluteâ inficit ac veluti membranam efformat, quæ modo partem modo totam pupillam claudit, unde æger vel aliquantulum vel nihil omnino cernit, & ea spontè sanatur, si purulenta illa concretio fundum petat ut observavit St. Yves. cap. 15 pag. 255. sed si retina simul in suppuratum abierit visus recuperandi nulla spes est si verò membranula illa uveæ foramini adhæreat, ea vulgari operatione deprimitur, nec requiritur acus hamata aut a communi diversa. 2^o. Si in filula concresecat mucus ex uveæ marginibus quomodocumque læsis stillans, dabitur etiam Cataracta membranacea quandam telam referens, quæ in filamenta difficiliter avellenda discerpitur quæque a St. Yves vocatur *la Cataracte filandreuse*. Rara quidem & quæ a discerpta cristallini membranâ quæ retinæ expansio est, potiùs deducenda videtur. 3^o. Ipsa itaque cristallini membrana extima laceratâ vel laciniata non solum illam speciem ementitur, verum illiùs laciniis elasticis cristallino depresso adhærentibus tribuendus est, qui post operationem Cataractæ vetustioris accidit cristallini depresso ascensus, novam post sex vel septem hebdomadas operationem postulans. Demùm si per ductus aquei humoris excretorios qui ponè iridem siti sunt, nimis dilatatos lymphæ viscida emittatur, illa membranulam etiam similem efformatura est. Similem speciem observavit Woolhouse pag. 325. Palfin, Winslow, &c.

GUTTA serena arabum Cataracta nigra germanorum,
 G offuscatio cornarii in Aetium. Cæcitas Moroni direct.
 Ambliopia Rumpfii Compc.

Character visus abolitio vel immunitio sine sensibili ocu-
 lorum opacitate.

Amaurosis a paralyfi nervi optici.

Amaurosis ab hydatidibus retinæ.

Amaurosis siphilitica ab exostofi Boerr. Schenkii fol. 787.

Amaurosis ex schirro in cerebro. Plateri obs. L. 1.

Amaurosis suppressâ scabie Senn. Pr. Medica. P. 3.

Amaurosis ex venenis narcoticis. Tulpii. l. 1. Raii synop-
 sis stirpium de Stramonio.

Amaurosis ex febre acutâ Riverii de gutta Serena P. 41.

Amaurosis ex plethorâ. Nenterii ex retentis mensibus
 Woltgangi.

Amaurosis ex commotione capitis. Hildani Cent. 5. 8.
 Centur. 3. ob. 99.

Amaurosis molucana. Bontii de Medicinâ indorum.

Amaur. foricariorum. Ramazzini de morbis artif. cap. 13.

Amaurosis ex hydrope vitrei. M. Jean. Midryasis &
 Hydrophthalmia Græcorum.

Amaurosis ex vulnere oculi Hildani ob. 17. 18. cent. 5^a.

Amaurosis a morbis convulsivis. vide Vieussens Nevre-
 graphia L. 3 C. 2.

Morgagni epistola Anatomica 18. n^o. 4^o.

Ab Epilepsiâ. Albrecti ephemerides cur. anno. 5. obs. 28.

Amaurosis a morbis dolorificis Morgagni Epistola Anat.
 18. 4. 5. a vulnuscule viciniis oculi inflictio. Valsalvæ dissert.
 2^a. n^o. 11. à cephalalgîâ Skenchii lib. 1. de cæcitate obs. 5^a.
 ex nephriticâ calculosâ. Adolphi Eph. nat. cur.

Ambæ illæ species a constrictione spasmodicâ annuli ten-
 dinei nervum opticum ambientis dependent, alteram cu-
 ravit

ravit Valsalva frictione nervi per foramen orbitare superiù transeuntis.

A M B L Y O P I A.

A M B L Y O S M O S Hippo. Amblytes Aretei. Visus obtusus Boerr.

Est difficultas distinguendi objecta in positurâ vel distantia ordinaria citrâ ullam antici globi opacitatem.

Amblyopia meridiana.

Emeralopia neotericorum. Niçtalopia Hippocr. prædictionum lib. 2^o. Vespertina acies Plateri. Visus nocturnus Boerrh.

Amblyopes sunt illi qui mediâ die nihil aut parum vident vespere verò & summo mane acutè cernunt.

Amblyopia crepuscularis.

Niçtalopia neoçtericorum. Luciositas Plateri de visionis læsione. cap. 7 visus diurnus Boerrh.

Emeralopes interdiu optimè vident sed recedente sole aut in crepusculo nebulis suffunduntur & cæci fiunt.

Amblyopia prona ab exophthalmiâ.

Ægri oculis elephantinis præditi Hydrophthalmiâ vel Exophthalmiâ affecti propter oculorum protopsim nihil nisi quod deorsum positum est distinguere valent.

Amblyopia lateralis. Ab enchilope; enchantide.

Ægri oculo extrorsum distorto propter excrescentiam carunculæ lachrymalis vel abscessum in angulo nasali objecta limis tantum oculis distinguunt.

Amblyopia obliqua à crotaphite vulnerato. Ac. Acad. Pari. 1718. Hist. p. 29.

Amblyopia altero oculo extrosum divergente.

Luciositas authorum Luscitas Boerrh. cap. 3. vûe louche.

Amblyopia altero oculo sursum divergente strabismus vulgo. vide. Comment. Dom. de Buffon. in. Ac. Ac. Reg. Par.

Amblyopia discitorum.

Myopia vulgo. Visus Juvenum Plateri. Courte vûe

Myopes sunt qui paululum distita objecta confuse tantum vident : incusanda est refractio quâ fit ut radiorum focus inter retinam & cristallinum incitat , tum propter cristallini aut corneæ convexitatem majorem tum propter vim refractivam intensiorem , tum ob processuum ciliarium & muscutorum oculi minorem mobilitatem. Hinc quatuor varietates Myopiæ oriuntur.

Corrigitur Myopia perspicillis vel plano concavis , vel utrinque concavis quorum diameter concavitatis sit æqualis extensioni visûs distincti si de vitris plano concavis agatur.

Amblyopia proximorum.

Præbitia vulgò. Visus Senilis Plateri. Præbyopia Boerrh.

Præbitæ dicuntur illi qui objecta proxima confuse remotiora verò distinctè cernunt.

Corrigitur vitris plano convexis vel utrinque convexis seu lenticularibus.

Amblyopia à debilitate visûs.

Visus debilitas auctorum.

Illi oculis debiles dicuntur qui licet distinctè cernant citius quam par est à lectione aut simili oculorum operatione defatigantur & tunc confuse cernunt.

CALIGO.

EST visus imminutio vel abolitio , à vitiis conspicuis citrà pupillam positis.

Caligo ab excrescentiâ corneæ.

Pterigium seu unguis corneæ : pannus si vascula varicosa rubra corneam tegant.

Caligo à pure in oculi camerâ anticâ.

Hypopyum & pyosis Græcorum. onix. St. Yves.

Caligo ex ulcere corneæ.

Botryum. Cæloma. Argemon. Epicauma Aetii.

Caligo ab oculi echimosi.

Hyposphyma Græcorum confusio & fugillatio auctorum

Ophtal. 12a. species St. Yves. Œil poché.

Caligo ex abcessu corneæ.

Hypopium St. Yves.

Caligo ex tumore uniformi corneæ.

Si protuberat cornea herniosa. Staphiloma Myoccephalon, & Melon dicitur. Pauli lib. 3. cap. 22.

Si sit pustula inter laminae corneæ citrà rupturam, datur Staphiloma tertium Aetii lib. 7. cap. 34. vel erupta corneâ infrà conjunctivam fit hernia. St. Yves cap. 11.

Caligo ex pustulis corneæ.

Cyrones corneæ. Jonsthoni fit quandòque ab aquulâ seu guttula lymphæ inter laminae corneæ effusa quam sagax distinxit ope microscopii Boerrh. in philathro & adactâ lanceolâ curavit.

Caligo ex palpebrarum emphisemate Jonsthoni.

Caligo à palpebris coalitis.

Anchiloplepharon Heist. Chir. pag. 460.

Caligo à palpebrâ lapsâ Ptoſis Græcorum.

Caligo ex incrassata & opacata corneâ glaucosis Aetii.

Caligo ab excrescentiis palpebrarum sycoſis & Tilosis Pauli Æginetæ.

Caligo à maculis corneæ.

Leucoma Græcorum albugo & nebula Latinorum St. Yves. cap. 12.

Caligo ex pupillâ imperforatâ. Cheselden. de Cataractâ. pag 166.

Ille pupillam ab ortu aut casu clausam acu solerter aperuit.

Caligo à lacte in oculo. Freitagii. de Cataractâ hanc speciem in puerperâ cujus suppressa erant Lochia observavit Illustrissimus Professor Regius D. Haguénot.



SUFFUSIO.

MARMARYGES Hippocrat de Morbis Epidemicis.
Phantasma Galen. lib. 2^o. de locis affectis.

Imagines Mercurialis. Phases Valsalvæ Differt. 2a. visus depravatus Maître Jean.

Est visio invigilantibus non respondens objectis externis erronea sine vertigine.

Suffusio Scintillas referens. Colores Plateri.

Pendet sæpe ab insultu epilepsiæ Cœlii Aureliani. Ab hydrophobiâ ab ictu oculis inflictio, fugax est.

Suffusio objecta partim adaugens Valsalvæ Differt. 2^a. homo hâc laborans dum legebat characteres alios aliis majores videbat etiam si forent æquales.

Suffusio objecta emarginans.

Observata in homine qui cum objecta distincta cernit illa, partim abrupta sive emarginata videt, maximè cum montes in horizonte positos respicit.

Suffusio muscas & retia referens. Nubecula Felicis Plateri.

Illæ muscæ fixæ sunt si oculus non moveatur.

Ridebat Pater de Chales Medicos Optices ignaros qui cum pro simili morbo consilium inirent corpuscula opaca in aqueo humore fluitantia incusabant. Demonstravit Pitcarnius hujus Suffusionis sedem esse ultrâ pupillam ut in retinâ rete vasculoso turgido referta.

Suffusio puncta lucida delabentia referens.

Hic affectus est contumax nequaquam cataractæ prodromus & in quovis capitis situ pluvia punctorum lucidorum delabi videtur; horum itaque sedes est in humore aqueo.

Suffusio objecta duplicans. Hallucinatio Plater.

Visus duplicatus J. Klauhold. Argentorati. 1746. Thesis eximia in quâ hujus affectus principia & varietates optimè

explicantur : ea procedit ex eo quod imago ejusdem objecti incidit in puncta in singulis oculis non sibi mutuo correspondentia.

Suffusio objecta colorans.

Scotoma Felicis Plateri. Etmulleri de caducâ vertigine. Phases mirabiles Senatoris Menzolinii. Valsalvæ Dissert. 2^a. n^o. 9. Ille Senator præoculis Palatia pulcherrime decorata sibi videre videbatur. Colores fugaces post aspectum directum solis oculis obversantur & maculis rubris mox flavis dein viridibus objecta fucantur juxta ordinem colorem spectri Newtoniani.

E P I P H O R A.

DElachrymatio cornarii. Illachrymatio hæc oculi fluentes Auct.

Est constans vel frequens & ab animi pathematis non dependens lachrymarum effluxus.

Causa est uberior lachrymarum excretio quam est earum per puncta lachrymalia resorbtio.

Epiphora à Rhyade Jonsthoni.

Si deficiat lachrymalis caruncula hujus ve loco sit ulcus irritans oculos & effluxum parans lachrymis indè lachrymæ defluunt.

Epiphora purulenta à fistulâ lachrymali, pendet ab obstructo ductu nasali unde lachrymæ cum succo purulento si adfuerit ulcus vel puriformi collectæ refluent aut per puncta lachrymalia aut percusam in hoc cantho fistulam.

Epiphora purulenta à fistulâ quasi lachrymali Petit. Act. Acad. Paris. De fistulâ lachrymali, pendet ab ulcere sinuoso ad oculi canthum nasalem posito à quo premitur saccus lachrymalis.

Epiphora ab ophthalmiâ.

Procedit ab irritatione oculi, undè coarctantur ductus lachrymales vel etiam à lippitudine viscosâ ipsos obturante.

Epiphora ab enchantide enchantis Heisteri Chir. p. 495.
fit propter compressionem sacci lachrymalis ab excreſcentiâ
ibi oborta.

Epiphora spontanea.

Illa eſt quæ pendet à ſecretione uberiore lachrymarum,
tum propter ſeri lachrymalis copiam auctam tum propter
nimiam ductuum glandulæ lachrymalis libertatem. Curatur
fotu ex aquis thermalibus.

